



68 3

CHRISTI Ope!
DISSERTATIONEM PHILOLOGICAM
De
**Cherubim & Gladio
Flammante,**

Ex Gen. III, 24.

In Illustri ad Albim Athenæo

D. 22. Augusti, A. O. R. cl^o 13^o LX.

Horis matutinis, in Aud. Min.

disquisitioni sistent Publicæ

PRÆSES

M. JOHANNES Fromme /

Brandenburg, March.

RESPONDENS

JOHANNES GEORGIUS SCHWABIUS,
Ratisponensis.

WITTEBERGÆ,

Typis MICHAELIS Wendt.

111f
138

scie



VIRIS

*Nobilissimis, summè Reverendis, Excellentissimis,
Amplissimis atq; Praclarissimis*

DN. AUGUSTO BUCHNERO,
Eloquentiæ & Poës. Prof. P. incomparabili,
variæ Eruditionis in Germaniâ PRINCIPÌ, totiusq;
Acad. Witteb. SENIORI gravissimo &c.


DN. MICHAELI WENDELERO,
SS. Theol. D. & Practicæ Philosophiæ Prof. P.
longè fidelissimo, famigeratissimo &c.

*DNN. MECÆ NATIBUS, FAUTORIBUS, PRÆCEPTORIBUS
ac PROMOTORIBUS suis omni submissæ observantiæ
cultu atatem devenerandis:*

Exercitium hoc Academicum cum duraturæ
felicitationis devotâ appreciatione

*officiosè inscribit
ac consecrat*

RESPONDENS.



I. N. J.

PRODRUMUS.

Nos peccatō primū infecti homines, jultā DEI irā Patriā pulsi, & Paradisi exules, hodiē neq; locum illum amœnissimum, neq; cognitionem ejus sati sumus. Utinam mansisset Adam obediens DEO, jam ineffabilis voluptatis hortum incoleremus: jam fructibus ejus dulcissimis frueremur, & ipsam vitæ arborem gustaremus: jam situm horti, amœnitatem & contenta omnia coram oculis lustrare, & jucundā speculatione perfectē cognoscere possemus. Nunc postquā expulsi inde recentes incolæ fuimus, nec memoria nobis superest, nec cognitio horti & tantæ voluptatis, nisi quam DEUS nobis in sacrâ Historiâ revelat. Utrumque de Paradiso dubia, tot controversiæ ab Eruditis agitæ. Disquiritur, ubinam fuerit Paradisus: an in altissimis montibus? An in Cœlorum inferiorum spherâ? An in aëre supremo? An sub æquatore exactè? An in Palæstinâ? Disquiritur de qualitate & situ ejus, quibus item fluminibus fuerit irrigatus? Quale sit flumen Phison, quale Gihon? Disquiritur de incolis ejusdem: quamdiu homo fuerit in Paradiso, &

A 2

de

de similibus. Quod si dolendum omninò est, nos ista non posse satis cognoscere; tum vel maximè calidissimis lachrymis deplorandum erit, quod nullus amplius aditus nobis patet ad illum voluptatis hortum, sed ipsis etiam primis nostris Parentibus, validissimis excubiis est præclusus. Memorat enim *Divinus Historicus* DEUM, cum hominem immorigerum ex Edenis pomario abegisset, ut humum, unde ortus erat, coleret; collocasse ad orientalem partem horti *Cherubim*, ast quantum custodem? & quidem cum armis, iisque; terribilissimis, nempe cum ense flammeo vibrante, ad arboris vitalis aditum custodiendum. De quibus Paradisi excubiis, juvante DEO, breviter hâc vice disquiremus.

§. I. Prima autem controversia hîc est: Utrum, quæ hoc loco narrantur de *Cherubim* & *Gladio Flammante*, sint historicè intelligenda, prout narrantur; an verò allegoricè sint accipienda, quod nonnullis placuit. Non enim desunt, qui ut alias plures Historias cum *Origene* in sensum merè figuratum ac tropologicum rapiant: ita & hanc de *Cherubim* ac *gladio flammante* exponunt, sive potius detorquent, atque id quidem variis modis. Nonnulli figuram hîc depromunt ex *Philosophiâ*, alij ex *Theologiâ*. Ex *Philosophiâ* I. Illi, qui ex *Geographiâ* intelligunt per *Gladium flammantem zonam torridam*, ubi Paradisum situm fuisse statuunt, quæ sententia adscribitur *Tertulliano*, quem hâc in parte secutus est ex Scholasticis *Thomas* & alii. Istorum itaque sententiâ Paradisus fuit inaccessibleis, quia zonâ torridâ undiquaque circumdabatur. Sed ut omittamus illud, quod constat ex descriptione *Mosis*, Paradisum non fuisse in locis illis, quos ambit zona torrida, certum est etiam ex nostri temporis navigationibus regiones, quæ sub zonâ illâ sunt, plerasque esse temperatissimas, ab aliis causis calorem illum moderantibus, & sub eâ esse loca pascua & ir-

& irrigua, multis ostendit *Josephus à Costâ* l. ii. Hist. Nat. Ind. cap. 6. 2. Illi, qui ex *Physicâ* intelligunt tropologicè ignes subterraneos, ex montibus altissimis, quibus superstructus Paradisus fuerit, erumpentes, eundemq; ad modum muri, vel coronæ circumdantes, quæ sententia est *Nicolai Lyrani*, itemq; ferè *Tostati*. Sed hoc planè contra rationem excogitatum est. Neq; enim situs Paradisi cacumini montis conveniens est: neq; talis ambitus ignis competere potest loco adeò temperato & amœno. Ex *Theologia* figuram desumunt 1. Illi, qui tum *Cherubim*, tum etiam *gladium flammantem* explicant tantùm de omnimodâ facultate, homini in Paradisum revertendi, ademptâ. Itaq; toto hoc verborum apparatu nihil aliud significari putant, quàm DEUM impedimenta talia homini objecisse, ut nullam spem reliquerit, ipsi viam ad arborem vitæ iterum repetendi, quæ impedimenta etiam potuerint esse invisibilia. Sed *Textus* contra hanc Sententiam manifestè pugnat, qui meminit *visibilium figurarum*, & *gladij versatilis*. 2. Illi, qui ignem purgatorium his verbis indicatum somniant, quæ sententia ridenda magis est, quàm refutanda. Et ipse *Pererius* Tom. I. in *Gen.* hanc explicationem videtur rejicere: adhæc Pontificii non ponunt talem ignem, ut excludat homines Paradiso; sed ut juvet & promoveat ad tempus exclusos.

II. Rejectis his falsis Opinionibus, statuimus, verba Mosis de *Cherubim & gladio flammante*, in se verè *Historica* esse, & ita etiam exponi debere: ideoq; Cherubim fuerunt Angeli, & quidem *boni*. Nam 1. Cherubim alibi in malum usurpari non legimus. 2. Custodire viam ad Paradisum non lictores malitiosos, sed ministros gratiosos requirere videtur. 3. Congruit hæc expositio cum analogiâ & nominis impositione. Quod enim *Moses* hos Angelos appellat *Cherubim*, id ideo fit, quod se accommodabat ad captum populi, cui noti erant *Cherubim aurei in tabernaculo*. Hi autem bonos, non malos Genios adumbrabant. 4. DEUS etiam bonorum Spirituum Ministerio, in malis pœnæ inferendis, utitur. V. D. *Gerhardum Comment. in Gen. p. 124.* Porro intelliguntur Angeli visibiles,

biles, qui non per suam naturam tales sunt, sed per singula-
rem modum apparentiæ, ita, ut hæc ratione ad hortum Ede-
nis constitutæ fuerint potentes quædam & terribiles visiones,
quæ metum primis hominibus incuterent, ne Paradisum,
christinam sedem, repeterent. Hoc modo Historicè interpre-
tantur verba Mosis *B. Lutherus, D. Gerhardus, Mercerus, Ri-
vetus & alii.* Neq; hoc ita ad literam intellectum crassius vi-
deri debet. Inveniuntur enim in S. literis passim exempla
Angelorum, qui humanâ specie apparuerunt cum districto
gladio, præsertim ubi de judiciis DEI exequendis agitur.
Talis fuit Angelus, quem primò vidit Asina Balaam, & postea
ipse herus, postquam ipsi fuerunt oculi reserati, Num. XXII.
22, 23. Et Ezech. VI, 2. Sex Angeli formâ hominum appa-
rent, destructuri Jerusalem, habentes singuli in manibus instru-
mentum lethiferum. Itaq; alienum videri non debet, Cherubos
à DEO fuisse dispositos in alienâ & visibili formâ, qui ad Paradisi
viam custodiendam aliquandiu ibi apparuerunt.

III. Fuerunt ergò *Cherubim* horti Paradisiaci custodes,
cujus nominis variæ afferuntur rationes. *Fagius* ex Ebrais notat.
Cherubim sic dictos, quod formam puerorum, seu, ado-
lescentium præ se ferrent. Literam enim *Q* notam esse simi-
litudinis, & *כרוב* Chaldaicè puerum seu adolescentem
significare. Ita etiam *Aben Ezra, Kimchi & Drusus*, quam
derivationem non improbamus. Deinde nomen *Cherubim*
à sapientia vel scientia multitudine Angelis datum esse, vetus
fuit in Ecclesiâ persuasio. Ita *Philo, Clemens Alexandrinus,*
*Origenes, Athanasius, Augustinus, Chrysostomus, Anastasius, Gre-
gorius, Philastrius, Sophronius, Theodoretus, alii.* *Hieronymus*
etiam in hanc sententiam citant Autorem, in *Epist. ad Pauli-
num.* *Cherubim*, inquit, quod exponitur scientia multitudine, per
omne corpus oculati sunt. Sed non video quomodo vox *כרוב*
à multitudine scientiæ derivari possit. Inveniuntur equidem,
qui derivationem hoc modo instituere velint, & inter alios
Marinus Marsennus, qui deducit à *כרוב* cognoscere, & *כרוב* mul-
tudo; Sed hæc nimis violenta, & Hebraismo insolita com-
positio est, cujus nullum apud Ebraeos potest dari exemplum,

nec

nec analogia ulla potest inter talia institui. Sunt præterea alii, qui hoc nomen deducunt à רב vel רבו Magister vel Rabbi, cui præfigunt כהן הרמיון sive Caph similitudinis, ut sit quasi *Magister, sapiens, gloriosus & honoratus, qui alios exquisita scientiæ copiâ illustrat.* Verùm ut Rab vel Rabbi Magistrum significet, impositio est non veteris & puri Hebraismi, sed illius, qui temporum tractu corruptelam aut mixturam passus est. Porrò *Delrius in cap. 3. Gen.* & alii dicunt כרוב appellari quasi רכוב *currum, vehiculum, sedile, thronus*, quod Angeli sint instar vehiculi, sedilis & throni, quem Majestas divina sanctissimo imperio complet. Sed *Lorinus in Psal. XVIII.* rectè monet: si hæc detur licentiâ, posse quoq; ex כבד derivari, undè est כביר fortis, magnus. Sunt deniq; qui Cherub à קרב, immutatione unius literæ, Hebraismo sæpè usurpatæ, deducunt. Id verò verbum notat *appropinquavit*, sive, quia Angeli proximi sunt Deo, sive quia missi ad utilitatem beandorum, sese verè piis sociant. Sed hæc derivatio ex eâdem licentiâ facta est, quâ antecedens.

IV. Obiter hîc notamus, quod nomen Masculinum *Cherubim* LXX. *Interpres*, itemq; *Aquila* & alii Interpretes Græci genere neutro τὰ χερουβιμ transulerint, quod & *Augustinus Eugubinus*, insignis Autor, miratur. De quâ re *Drusus lib. X. observat. cap. 21.* talia commentatur, *Ego arbitror, τὰ χερουβιμ compendio dici, pro eo, quod est, τὰ πνεύματα χερουβιμ, id est Spiritus, qui Cherubim nuncupantur. Quippe Cherubim, quod indeclinabile Ebrais nomen, Græci declinant, addito articulo τὰ χερουβιμ, τῶν χερουβιμ, τοῖς χερουβιμ &c.* Et hoc rectè meâ sententiâ.

V. Metaphoricè nomen *Cherub* tribuitur Regi Tyriorum *Ezech. XXVIII, 14.* *Tu Cherub unctus protegens:* sive ut *Junius & Tremellius* vertunt, illud חַרְוּבֵי הַסּוּכָה ex quo unctus te protectorem. Quod *D. Glassius Rhet. Sacr. Tract. I. c. 10.* secundum opinionem ipsius Regis dictum putat, ac si dixisset *Deus: Quemadmodum inter res creatas Angeli naturâ ministerioq; præstant, ablegati à Deo ad hominum protectionem:*

nem:

nem: Ita etiam Tu, Rex Tyrionum; fuisti iudicio & opinione
tuâ. Hunc locum autem Ezechielis eò etiam lubentius ad-
duximus, quod positâ hîc Metaphorâ procul dubio ad præ-
sentem nostrum locum Gen. III, 24. alluditur, uti id obser-
vant Junius & Tremellius in notis. *Elegantissima est Regia illius
Majestatis descriptio, per comparationem Cherubi illius, qui in
horto Edenis à D&O dispositus est. Gen. III, 24. Quemadmodum,
(inquit,) Angelus præpositus est ei hortu, ad protegendum eum, &
gladio illo versatili armatus, omnibus est terrori: Ita etiam tu, ex
quo regnum tibi est traditum, visus es tibi equare gloriam Angelo-
rum DEI.*

VI. De Formâ autem istorum Cherubim, quâ apparue-
runt, ut nihil obstinatè asserimus, ita citra ullius præjudicium
putamus, Angelos ad hortum Paradisi positos, apparuisse spe-
cie humanâ, ut solebant Angeli apparere, attamen cum terro-
re, præsertim ob gladium flammantem. Rejicimus etiam se-
quiores sententias, quas ex denominatione Cherubim, & usu
hujus vocis perperam quidam probare satagunt. Ita Muscu-
lus in Commentario malè ait: *Quod attinet Cherubim, quoniam
Psal. XVIII, 11. sic legimus: Et ascendit super Cherubim, & vola-
vit super pennas ventorum: arbitror, manifestum relinqui, Cheru-
bim esse volucres, unde & figura illa propitiatorij, quas Scriptura
Cherubim vocat, alate fuerunt. Quare simplicius esse arbitror, ut
grandes & terribiles volucres à D&O ad custodiam Paradisi de-
putatas esse credamus: Et quod flammam gladij concernit, cum illis
sentiamus, qui flammæ è sinu telluris, ad Paradisi ingressum excita-
tas, & hîc numerum singularem pro plurali positum esse, arbitrantur.
Nec necesse est, ut cogitemus, volucres illas horribiles, & flammæ
ignis uno fuisse & eodem loco constitutas, sed sic positas, ut locis di-
versis omnem Paradisi aditum prohiberent. Porro Theodoretus
Cyrensis Episcopus, (cujus sententiam adducunt Bellarminus
c. XVI. de gratiâ primi hominis, & Sixtus Senensis Biblioth.
Sanctæ L. V. annot. 58.) quest. 40. in Genes. inquirens quid sit
τὸ χερουβὶμ sive Cherubim, positi ad custodiendam arborem
vitæ, duo respondet: Primum non esse credendum Cheru-
binos, Paradisi custodes, esse Spirituales & invisibiles virtutes,
cui*

ceum quidam existimant; sed potentes ac terribiles quasdam
visiones, ac formas animalium, quæ Adamum ab ingressu Pa-
radisi arcerent. *Secundo*, quod Cherubini, de quibus sæpè in
Divinis Scripturis fit mentio, neq; animalia sint, neq; ulla in-
visibilis naturæ substantia; Sed Cherubini vocari in Divinâ
Scripturâ illud omne, quod magnâ præditum est potentiâ.
Sic dicit in Psalm. LXXIX, 2. *Qui sedes super Cherubim*, id est,
qui potenter regnas. Et in alio Psalmo (XVII, II.) *Ascendit
super Cherubim & volavit*, id est, cum multâ & magnâ advenit
potentiâ & virtute. Tandem *Jacobus Chyus*, novus è Græcia
hæreticus, quem itidem *Sixtus Senensis* memorat, talem erro-
rem proposuit: *Cherubim in S. literis non significat aliquam Spiri-
tualem Substantiam, vel incorporeum aliquod animal; sed statuam,
ad similitudinem pueri formatam: quales erant pueriles illæ statuæ
aureæ, super arcam collocatæ, & statua illa cum igneo gladio, ad custo-
diam Paradisi posita, quam Moses Cherubim appellavit. Hæc enim
non erat Angelicus Spiritus, sed virile puoddan simulachrum, horri-
bili formâ larvâq; circumtectum, quod DEUS ad incutiendum ter-
rorem primis Parentibus præforibus Paradisi collocaverat, juxta mo-
rem agricolarum, qui in satis & hortis ligneos palos defigunt, laceris
humanarum vestium pannis indutos, ut eo terriculamenti genere,
aves à seminum atq; frugum pastu deterreant. Quibus erroneis
opinionibus, quanquam per se satis absurdis, tum communem
Theologorum sententiam, tum in primis *Chrysoctomi* opponi-
mus, qui hunc locum exponens ait: *Præcepit DEUS, ut vir-
tutes ille Cherubim, custodirent viam. Et in sermone de Ascensione
inquit: Angeli & Archangeli nostris dolebant suppliciis: & quando
puniebamur, ipsi quoq; nimiam tristitiâ tenebantur. Et Cherubim,
licet Paradisum custodiebant, tamen nostris suppliciis tristabantur.*
Et miramur non immeritò, quo spectro Græcorum quidam
seducti fuerint, ut Cherubinorum visionem *μορμολύκεια*,
spectra & terriculamenta mera fuisse crederent. Quorsum
enim DEUS Opt. Max. locum nobilissimum spectris & ludibriis
infamem redderet? Et Cherubinos *μορμολύκεια* ejusmodi vo-
care, pietas vetat.*

VII. De reliquorum Cherubinorum formis variæ etiam
inveniuntur sententiæ: quam controversiam ut paucis attingamus, statuimus *Primò*, nomen *Cherubim* non accipi simpliciter pro Angelis; sed pro Angelis quatenus vel apparebant, vel figurabantur aliquâ externâ formâ, vel hominis, vel alterius animalis. Ideoq; Angelorum figuræ & formæ externæ vel erant *assumptæ*, ut in apparitionibus; vel erant *effictæ*, ut in arcâ & tabernaculo. *Deinde* ex visionibus Prophetæ Ezechielis constat, Cherubinos non humanis tantùm, sed etiam brutis formis exprimi, & in specie formâ bovinâ, quam Ezechiel cap. I. v. 10. viderat, nomine *Cherub* insignitur c. X. v. 14. Vidit enim Ezechiel quatuor animalia, quæ frequenter universa Cherubim appellat c. X. & nihilominus distinctè notat, quatuor in singulis fuisse facies, humanam, leoninam, aquilinam, bovinam. Itaq; tum universæ istæ formæ ab Ezechiele vocantur Cherubim: tum in specie forma bovina, ut modò notavimus. Neq; putandum est, quod per *faciem*, apud Ezechielem, totus corporis habitus intelligatur, ut pro diversis ejus partibus diversorum animalium habitus apparuerit: nempe hominis species in ore, manibus, cruribus, corporisq; erecti habitu: species leonina in cervicibus, armis atq; pectore jubatis: aquilina facies in alis: vitulina in unguis pedum. Nam Propheta disertè facies ab alis, pedibus & reliquo corporis habitu distingvit. Præter hos Ezechielis Cherubinos describuntur in S. literis tum Cherubini tabernaculi Mosaici, tum Cherubini templi Salomonici, quorum amborum non est eadem ratio & conditio. Cherubini Mosaici toti fuerunt aurei: alter erat in uno latere operculi arcæ, quod propitiatorium vocatur, alter in altero, mutuò sese aspicientes, & alis undiq; regentes propitiatorium: à meridie quidem & septentrione tegebant illud crassitudine corporum; ab oriente verò & septentrione alis extensis, ita ut dextera ala unius, tangeret sinistram alterius. Illi verò Cherubini, quos Salomon fecit, & in medio oraculi posuit in Templo à se exstructo, *Primò* multò majores erant, & decem cubitorum altitudinem in sanctuario æquabant. *Deinde* toti
aurei

aurei non fuerunt, sed ex olivarum lignis, quibus nec tempestas, nec caries, nec vetustas nocere poterat, confecti erant & aureis laminis operti. Porro non respiciebant se mutuò; sed facies habebant ad Orientem & exteriorem domum verfas: terga ad occidentem; alas verò singulas quinque; cubitorum contra meridiem & septentrionem protensas. Contgebant in templo arcani, propitiatorium, & ipsos duos Cherubinos Mosaicos, quos Salomon religionis studio dubio procul integros inviolatosque asservavit.

VIII. Restat nunc ut de *gladio flammeo* etiam nonnulla moneamus. Moses illum ita describit: **וְאֵרֶב לְהֵט**: **הַחֶרֶב הַמְתַּפְּכֶרֶת**. *Et flammeum gladium versatilem.* Junius & Tremellius: *Flammamque gladij sese vibrantis.* Sebast. Castalio: *Et flammeum enses vibrantem.* Lutherus: *Mit einem blossen hauenden Schwerdt.* Vocabulum **לְהֵט** significat & flammam, & laminam politam, instar flammæ fulgentem. Unde & *B. Gerharo* incertum est, an per **לְהֵט הַחֶרֶב** intelligatur flamma, habens formam & speciem gladii: an verò gladius ipse candens igne, fulgurans & quasi flammæ vomens. *Mercerus* tamen notat: quod **לְהֵט** juxta Hebræos, magis sit accidens ipsius gladii, quàm gladii pars, cum propriè sit ipse gladii fulgor & splendor, qui in laminâ apparet, flammam ignis referens. Ideò Hebræi illud **וְאֵרֶב לְהֵט הַחֶרֶב** exponunt, gladium cui erat **לְהֵט** splendor, gladium fulgore & splendore præditum. Huc accedit *Rivetus* Exerc. XLI. in Genesin, qui ait: *Rutilans gladius flammeus dici potest, quia ferrum politum & fulgens flammæ videtur emittere.* Junius & Tremellius in *Notis* exponunt: *mucronem gladij*; sed tamen præferunt alteram expositionem, per *flammeum gladium*, quia vox Ebræa semper pro flammâ accipitur. Nihilominus nos ad mentem LUTHERI, intelligimus igneam flammam & fulgur, formam gladii quandam exhibens. Ita enim Lutherus: *Cherubim isti in viâ habuerunt non ferrum, quo arcerent accessuros, sed lahat gladij versatilis, hoc est, fulgetrum seu flammam, qualis est fulguris, quæ incerta est, & perstringit oculos. Habuit autem ista flam-*

ma, seu fulgur hoc, formam gladij, qui moveretur assidue, seu vibra-
 tur. Angeli isti semper emiserunt flammam, que in omnes partes
 agerentur, ne quis accedere posset. Ita etiam Pelargus, Glassius,
 Lutkemanus, alii. Præterea observandum, singularem hic
 esse positum pro plurali: & flammam gladij, id est, & flammeos
 gladios, sive flammam gladiatorum. Ut ita quisq; Angelorum
 gladium flammam præ manibus tenuerit, ad terrendos in-
 gressuros: plures enim Cherubim dicuntur ante Paradisum
 collocati. Quod attinet illud *המתהפכר*, AbenEzra
 & quidam alii Ebræi exponunt *שתי פירות* geminam
 incipitem bipennem. Sed præferenda hic est genuina
 hujus vocis significatio, quam etiam LXX. Interpretes ex-
 primunt, qui vertunt *ἄστρον* versatilem, quod in omnem
 partem versaretur & agitaretur, ad majorem terrorem in-
 iiciendum.

Tantum de

Materia presenti Philologica:

sequitur

APPENDIX QUATUOR
 QUÆSTIONUM PHILO-
 SOPHICARUM.

Q. I.

*An GNOSTOLOGIA sit peculiaris
 & à cæteris distincta Disciplina?*

Nos, omisiss omnibus ambagibus, putamus, quæstio-
 nem affirmandam esse, non tantum quia Magnos Philosophos
 hujus sententiæ Patronos esse novimus; sed vel maxime etiam,
 quia validis rationibus asserti veritas demonstrari potest.
 Quibus enim fundamentis cæteræ Disciplinae probantur,
 iisdem etiam hujus Disciplinae Philosophicæ existentia pro-
 bari potest: Quia 1. Habet proprium & peculiare Objectum.

2. Pro-

2. *Proprium & peculiarem considerandi modum.* 3. *Proprias & peculiare affectiones, quas de suo Subjecto probat & explicat.* Ac primùm quidem *Gnostologiae* attribuunt *proprium & peculiare objectum*, distinctum ab objectis reliquarum *Disciplinarum*, si non realiter, tamen formaliter. Objectum illud est *Cognoscibile*, sive, *scibile*, non quatenus *Ens* est, multò minus quatenus *rale* vel *tale ens* est; sed quatenus *scibile* est. Hoc objectum ut proprium fiat *Gnostologiae*, distingvimus (1.) inter *Objectum alicujus Disciplinæ materiale & formale*. (2.) inter *convenientiam Objectorum realem & formalem*. Si enim sermo sit de *Objecto materiali*, sive de *re consideratâ*, tùm *Gnostologia* non habet objectum omnimodè distinctum ab objectis reliquarum *Disciplinarum*; sed tùm convenit hæc doctrina quodammodo cum aliis scientiis, quæ omnes *scibile* aliquod tractant & explicant. Si verò sermo sit de *Objecto formali*, (per quod etiam *Disciplinæ* constituuntur,) sive de *modo considerandi*, dicimus & statuimus, quod cum nullâ aliâ *Disciplinâ* in eo conveniat *Gnostologia*; cæteræ enim *Disciplinæ* omnes non considerant *cognoscibile* in genere, sed (α) vel hoc aut istud *cognoscibile* in particulari: vel (β) non quatenus *scibile* est; sed quatenus certo modo est. Sic *Metaphysica* contemplatur *scibile*; sed quatenus *Ens* est. *Pneumatica* considerat *cognoscibile* sive *scibile*, sed quatenus est *Spiritus*. *Physicus* de *scibili* agit, quatenus *Corpus Naturale* est. V. Dn. *Parentis Gnostol.* part. 1. cap. 1. p. 2. Conf. *Magnus noster Theologus atq; Philosophus Dn. D. Calov. Gnostol. Proëm.* *Gnostologia* verò considerat *scibile præcisè & quatenus tale, sub præcisivâ & quidditivâ ratione*, ut loquitur modò citatus Dn. *Genitor* p. 3. *Gnostol.* Qui ipse est *modus proprius & peculiaris considerandi hoc Objectum*, quem *Gnostologiae* adscribimus. Et quod restat, etiam *Propria* quædam de *scibili* considerat, quæ in nullâ scientiâ vel *Disciplinâ* aliâs eo modo pertractantur. Nempe agit de *Principiis cognoscibilis intrinsecis & extrinsecis*: proponit *contractionem & scibilis ad species proximas*, dùm distribuit illud in *primarium & secundarium*; & si hæc *Disciplina* eliminanda est, ubi aliâs ex professo tractabitur de Ab-

stractione in genere, de univocatione & analogiâ, & quæ sunt similia plura, quæ Gnostologia accuratissimè expendit. Ad- di possunt etiam aliæ rationes, tum ab intellectus nostri con- ditione, tum ab objecti scibilis naturâ & affectione petitiæ, de quibus videlicet *honoratiss. Dn. Patris Gnostol. p. 6.*

Q. II,

Quem Usum habeat Gnostologia?

Gnostologia Consiliarius Metaphysicæ dicitur à *Magnifico atq; Excell. Dn. D. Calovio*, in Præfat. Operis Philos. quo titulo insignis ejus utilitas, quam Philosophiæ, & speciatim Meta- physicæ præstat, indicatur. Nec verò Philosophiæ tantum, sed etiam Theologiæ insignem utilitatem præbet, prout id *Frommii* in suâ *Gnostologiâ* multis exemplis & consuetariis, quæ singulis Præceptis subjecit, demonstravit. Et ne opus habeamus, ob pagellarum angustiam, omnes usus in specie recensere; id tantum considerandum proponimus, quod usum, nunquam satis de prædicandum, in omnibus liberalibus artibus præstet *Abstractio*, de quâ Gnostologia ex professo agit. Abstractionis enim tantus est usus, ut is solus habeatur Phi- losophus, qui abstrahere novit, uti judicat *summè Reverendus Dn. D. Calovius* *Gnostol. p. 13.* Similiter *B. Dn. D. Scharffius*, in *Disp. de accurato Philolophandi genere*, hæc verba habet: *Primum & maximè necessarium medium, quod in accurato Philo- sophandi genere principatum obtinet, est Abstractio, adeò quidem, ut non immeritò in veriverbium abierit: SOLUS EST PHI- LOSOPHUS, QVI BENE ABSTRAHIT.* Neq; aliter sese res habet, quàm prout dictum est ab his *Excellentis- simis Viris.* Quia sine Abstractione res nullas intellectus com- modè apprehendere potest, cum sine illâ conceptus formari nequeat, quo si destituatur intellectus noster, non tantum ac- quisitio scientiæ perit; sed etiam nulla planè cognitio locum habere aut invenire potest. Proinde verissimum est, quod *Dn. Parens* scribit in *Appendice Gnostologiae suæ p. 156.* Quantum expediat cujusq; rei naturam abstractè & formaliter conside- rare, ejusdem propriam sedem, tanquam patriam tenere, termi-

terminos eminentes & prædicamentales non confundere, univoca ab analogis probè distingvere, scire discrimen inter *ἰσοπέδιον, πρᾶξις & πῶλον*, omnes ferè Disputationes experiuntur.

Q. III.

An Politica in fraudibus consistat?

Ex vocis ambiguitate ortum trahit hoc *ζήμια*. Vulgò enim Politicus vocatur, qui simulare ac dissimulare, & quod proverbio dicitur, foro uti novit, & sese in conversatione omnium moribus accommodare, omnibusq; ablandiri potest, qui & incautos callidè verborum epulis inescare, & illecebris, fallaciarum sale aspersis, decipere didicit: Hoc vulgi iudicium & denominatio. Nec desunt, qui candorem & simplicitatem pro stupiditate habentes, ipsi bonos sese iudicant Politicos, & omne prudentiæ Politicæ punctum ferre præsumunt, si verba dare aliis, & fucum facere nòrint. Verùm enim verò, is demùm verus Politicus audit, qui longo usu & exercitatione prudentiam Politicam sibi acquisivit, qui opifex justitiæ, architectus bonarum legum, & summâ virtutum integritate spectabilis est, *ναδίαμερον* verò virtuti & veræ prudentiæ fraudes sunt oppositæ, ergone in fraudibus consisteret Politica? Finis Politices optimus annè requireret media, homine candidæ mentis planè indigna? *Absit!*

Q. IV.

An Subditi possint cogi ad fidem suscipiendam?

Thesis negativa veritatis vallo cõmunita est. Competit quidem Magiltratui cura religionis & potestas Ecclesiastica externa; sed non ita ut possit etiam ad suscipiendam religionem aliam subditos jure cogere: esset illa coactio dominium conscientiarum, quâ nulla Tyrannis intolerabilior, *juxta invictissimi Imperatoris Maximiliani II. dictum*. Et conscientias dominari, est in peculiaribus reservatis Divinis, quippe juxta sapien-

sapientissimum effatum laudatissimi Poloniae Regis Stephani, tria
sibi DEUS reservavit, in quibus nec vult, nec potest habere
parem: Dominari conscientis, futura scire, & ex nihilo aliquid
facere. Ipse mentium Rex est solus, nec tamen quenquam
cogit, quid ergo moliuntur homines? Sed magnis & ipsi ex-
cidunt ausis, & irrito successu laborant: quippe dum cogun-
tur mediis violentis subditi, magis retrahuntur animo ab im-
peratâ religione, inflammantur ad cædes & seditiones, &
nihil non agunt in perniciem Reipubl. Ex dictis colligere
facile est, quid statuendum sit de frequenti Pontificiorum
praxi, & præsertim de inquisitione
Hispanicâ.

Summo Regum Regi sit decus atq;
GLORIA!



94 A 7382

ULB Halle

3

002 183 692





Sb.

VD 17

21,7.99 Bd.







68 3

CHRISTI Ope!
DISSERTATIONEM PHILOLOGICAM
De
Cherubim & Gladio
Flammante,

Ex Gen. III, 24.
In Illustri ad Albim Athenæo
D. 22. Augusti, A. O. R. cl. lxx.
Horis matutinis, in Aud. Min.
disquisitioni sistent Publica
PRÆSES
M. JOHANNES Fromme /
Brandenburg, March.

RESPONDENS
JOHANNES GEORGIUS SCHWABIUS,
Ratisponensis.
WITTEBERGÆ,
Typis MICHAELIS Wendt.

